© t begin van desen brief is f. 3. verso.

Epistola XXXIII.

D. NN. IOHANNES COCCEJUS.

~~C. P. D.~~

De Judæorum receptione

cogitaturum convenit ante omnia considerare sensum quæstionis [thematis]. Is est: De eorum, qui nati sunt Judæi et Israële, et ~~sunt~~ se lege mosis tam in plebi profitentur, et proselytos et Christum non agnoscunt, cerimoniasque legis observant, tolerati- one, cohabitatione, conversatione et commercio.

Disceptatio tria in limine habet expendenda:

1. Quibus Judæi olim sub V. T. potuerint cohabitare.
2. Annon ex diversitate Ecclesiæ N. T. nascatur et in hoc aliqua diversitas.
3. An utile sit Judæis et Christianis, eos sibi invicem cohabitare?

Prima quæstio iis assertionibus absolvitur.

1. Judæi etiam stante ~~templo~~ republica in mediis idololatris poterant ...

EPISTOLA XXXII. IOHANNI COCCEIO ERNESTUS ANDREÆ

Gratiam et pacem a Deo patre nostro et Jesu Christo Domino nostro.

Clarissime Doctissimeque vir amice ac Domine honorande.

Videbatur jamdudum amicitia nostra requirere fomitem, qui non tantum in pristino vigore eandem conservaret, sed novas quoque vires ac robur adderet. Atque ut necessarium videbatur in hac tanta temporis locorumque distantia tot intersævientibus bellis, tumultuantibus procellis, ita fateor ex lege literaria, a me primo proficisci debuit. Sed defuit hactenus materia qua occupatos multos tuos remoraretur, ut et cæterum fuerit occasionis et otii abunde. Nunc vero cum ex literis fratris cognoscam, Bremam a suo Coccejo repulsam tulisse, calamum quidem arripui, sed quod argumentum et caput epistolæ constituam non dum invenio. Congratuler anne condoleam? Condolere ei qui ad gradum eminentiorem a Deo evectus est, Siculum: Congratulari ei qui patriæ excesserit Scythicum. Congratulor tamen et vel invita patria Bonum factum! præfigo, cæteraque solemnia Feliciter! Quod felix faustumque boni ominis causa acclamo. Et quænam patria? An illa cujus primum hausisti aerem, suspexisti cœlum, perreptasti terram? in cujus oculis prima pueritiæ adolescentiæque rudimenta deposuisti? An vero illa, quæ meliorem tui partem altioribus studiis imbuit, mores formavit, publico bono enutrivit, et nunc ad honores evexit? In quam antea ad capessendum ingenii cultum tanquam ad mercaturam bonarum literarum ultro profectus es, et quæ nunc suo quasi jure fructum publico bono a te reposcit? Mihi semper patria est ubicunque bene est. Bene est ubi-cunque tenue meum talentum plurimum fœnoris lucratur. Illa vero patria nomine indigna, indigna est quæ ossa nutricii sui tegat, quæ virtutem incolumem odit quæsitura dubio procul ubi ex oculis sublata fuerit. Qui astrorum peritia se jactant ex stellarum migrationibus, ventos tempestatesque præsagire solent. Ego quamvis nulla re minus quam notitia tam altæ speculationis gloriari sciam, illud tu patriæ tuæ, absit omen dicto, præsagire ausim, non exiguas eam majores tempestates, ubi tam illustre sydus quod splendebat velut inter stellas Luna minores migrare video. Mirabar sane multas metamorphoses post meam discessum obortas, aliorum abdicationes, aliorum remotiones, vocationes horum, illorum repulsas, sed omnium maxime mirabar dimissionem mei Coccejii. Patere me uti hoc verbo, qui pro tua humanitate lege quasi Platonica, amicitiam dudum cum fratre cultam, mihi voluisti esse communem et me fecisti tuam. Et quem non insignia tua dona quæ larga manu in te congessit dator omnis boni, in tui amorem attraherent, præsertim tanta cum pietate et comitate connexa? Mereoris [illegible] me dignatoris tui.

Professores in Theologia … sunt Dn. Bogermannus, Dn. Scotanus & Theoreticus ille M…

Videtur tibi subesse huic migrationi tuæ ratio aliqua Physica, quæ cum tibi ex duo pectora ex diversis coacta plagis in centro quasi conduxi[illegible] Cum n. natale solum suâ ut probabile est dulcedine semper di[illegible] illud dimidium animæ tuæ ad se attraheret, quod ob nexum adam[illegible] trium fieri non poterat nisi altera simul traheret pars, eadem [illegible] retenta sua patriæ dulcedine renitens factum est ut si non[illegible] ipso centro inter utramque patriam amicam par [illegible] ea pars pr[illegible] valuerit quæ in amore patriæ prævalere esse consuevit. Sed m[illegible] me chartæ angustia ut finiam. Deinde repeto votum meum ut Deus ter opt. max. hanc migrationem tibi velit esse feli[cem] ac faustam, promovendæ gloriæ suæ ac bono publico salutar[em]. Me forsitan Dantiscum retinebit cui operam auxiliarem m[illegible] hanc hyemem jam condixi. Salveat meo nomine venerandus Pastor, honorandus meus præceptor. Salveat officiose honestiss[ima] sua et ut spero, liberi. Commendo nos utrimque manui fortiss[imæ] [illegible] meque ardentiss[imis] vestris precibus et amplectiss[imo] favori. Et ingrat[illegible] tibi mea importunitas, talionis legem expecto sin grata amici[illegible]

Dabam Gedani $\frac{17}{27}$ Nov. 1636.

T. Cl.mi officiis et studiis addic[tissimus]
Ernestus Andreæ

Clarissimo Doctissimo
viro Domino Johanni
Coccejo in illustri
Academia Franequerana
Linguæ Sanctæ
Professori dignissimo
Domino et amico hono-
rando

Franequeram